DE
NEURALGIA FACIALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. IUNII A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANCISCUS KOCK
MONASTERIENSIS.

OPPONENTIBUS:

FR. HESSING, med. et chir. Dr.
ARN. OSTHUES, med. et chir. Cand.
AD. ROBERG, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

TUTORIBUS CARISSIMIS

OPTIME DE SE MERITIS

FRANCISCO ESCH,

MERCATORI MONASTERIENSI

NEC NON

FRANCISCO KETTLER,

CONSULI ROXELENSI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCT

HISTORIA MORBI.

Fothergill in literis »of a painful affection of the
ce« ad societatem medicam Londinensem scriptis (1)
lixit, hanc affectionem, quod ipse sciret, alibi nondum
lumbratam esse. Tunc descriptionem foras dedit morbi
ccuratissimam docuitque, quo modo a morbis aliis dis-
rneretur, et quae ipse de ejus natura et indole, de
usis curaque sentiret, optime exposuit, talique modo
effecit, ut morbus ipse, ad quem accuratius perscru-
ndum medici incitati sunt, secundum nomen suum
pellatus sit. Quamvis autem de laude autoris illius
ustrissimi nihil detrahendum esse censuerim, tamen ex
era parte negare non licet, morbum jam antea quum
stitisse, tum et medicis notum fuisse, etsi tam accu-
te eum non delinearint, et certe saepius cum aliis per-
ntarint.

Jam in veterum medicorum scriptis notas quasdam
venimus, e quibus colligere possumus, eos morbum

---

(1) The works of John Fothergill, London 1783. Vol.
p. 179.

jam observasse, quod quidem de Aretaeo (1), Rhaze (2 Mesue, Avicenna (3) et Albucasem (4) dici potes Saeculo decimo octavo autores animo magis attent morbi symptomata et decursum prosequi inceperun observationes instituerunt accuratissimas, quas inter communicarunt, ac remediis diversissimis auxilium a grotis afferre conati sunt, quum contra hostem atroci simum sibi pugnandum esse, jam satis intellexeri Qua re factum est, ut ab hoc tempore multa de h morbo scripta inveniamus, in quibus sub nominibus d versis describitur, qualia sunt: trismus dolorificus, t douloureux, dolor faciei Fothergilli, rheumatismi facialis, trismus arthriticus, affectus spasmodico-convu sivus labiorum, rheumatismus cancrosus, aërophobi neurodynia, prosopalgia, neuralgia facialis; Avicenn eundem morbum nominavit torturam oris, Aëtius spa mum cynicum, Aretaeus heterocraniam et spasmu caninum.

Quantum progressi simus in morbo nostro et co gnoscendo et curando, quantumque nobis adhuc relictu sit, de quo porro magis magisque certiores fieri studea mus, hoc in autorum scriptis ipsorum optime invenie quorum in numerum potissimum referendi sunt: An dre (5), Pujol (6), Degener (7), Fothergill, Sau

(1) De causis et not. diuturn. lib. I. cap. 2. 7. 12.

(2) Operum lib. 1. cap. 4.

(3) Canon. lib. III. sec. 2. tract. 1. cap. 15.

(4) Chirurg. pars 1. cap. 7.

(5) Observations sur les maladies de l'urèthre, Paris 175 pag. 318.

(6) Essai sur la maladie de la face u. le tic douloureu Paris 1787.

(7) De dolore quodam perraro acerboque maxillae etc.

vage (1), Bonnard (2), Selle (3), Lentin (4), Vogler (5), Boehmer (6), Thilenius (7), Baldinger (8), Forstmann, Leidenfrost, C. Sprengel, Jos. Frank, Masius (9), Loebenstein-Loebel (10). Novissimo tempore Cel. Romberg morbi historiam aegroti hoc malum per viginti sex annos perpessi, sicut ea, quae mortui sectione instituta inventa sunt, optime exposuit, et respecta physiologia accuratissime explicavit (11).

DESCRIPTIO MORBI.

Neuralgiam facialem nominamus dolorem, qui secundum diversissimos nervi quinti ramos decurrens, in variis faciei partibus sese ostendit, levissimis causis excitatur, pressu autem fortiore plerumque vel levior fit, vel plane evanescit, intermissiones facit, in quibus aegrotus omni dolore plane liberatus est.

Momentis non ita vehementibus, sed levissimis interdum, vel digiti tactu, vel cultro tonsorio faciei imponendo, vel loquendo, vel ridendo, vel masticando, vel

---

(1) Nosologia methodica. Amstel. 1768.
(2) Journal de medecine. 1778.
(3) Neue Beiträge zur Natur- und Arzneiwssch. Th. I.
(4) Blumenbach, Bibliothec. medic. Vol. I.
(5) Ibidem Vol. III.
(6) Ibidem.
(7) Mediz. und chir. Bemerkungen. Frankfurt 1789.
(8) Blumenbach. Bibliothec. medic. Vol. III.
(9) Hufelands Journ. Bd. 25 u. 37. Heckers literarische Annalen Bd. 6.
(10) Hufelands Journal Bd. 44.
(11) Lehrbuch d. Nervenkrankheiten, I. Bd. I. Abtheilung pag. 38.

animi affectibus celeriter dolor acerbissimus oritur. No autem quoque tempore talia momenta suppetunt, et tun dolor aegrotum nihil praesagientem, ab omni malo libe rum sese sentientem subito invadit. Hic dolor vari modo describitur, pungens, urens, lacerans, lancinans contundens, celerrime fulminis ictus instar partes pene trans. Aegroti sensum habent, quasi filum per parter affectam huc illuc traheretur, ossa faciei dissecarentur partes forcipe comprimerentur. Modo in hac, modo i altera parte sentitur, alteram deserens alteram appetit uno eodemque momento in vicinis locis sese ostendit saepius retrograditur ad originis locum. Tanta est do loris hujus vehementia, ut aegroti quos modo hilarissi mos videris maxima afficiantur tristitia, ut homines e animo et corpore fortes, temperare sibi non possint quominus clara voce clament, et quasi insani sese ge rant. Cel. Romberg casum memoriae prodidit, in quo mulier duos et septuaginta annos nata, postquam per annos triginta horribili modo ex hoc morbo laboravit, et pluries sese interimere frustra conata est, in aquam sese submersit, tali modo vitam finiens (1).

Dolor saepissime quidem subito aegrotos aggreditur, interdum autem etiam praesagitur, dum vel ardor, vel pruritus, vel formicationis et tensionis sensus, vel sensus quasi fluidum quoddam e facie ad extremitates decurreret, vel anxietas praecordiorum et respiratio angustior antecedentes de dolore modo nascente certiores faciunt.

---

(1) l. c. pag. 36.

Omnes rami nervi quinti locum affectum praebere possunt, praecipue autem in ramo secundo occurrit morbus, quo in casu ramificationes nervi infraorbitalis in mala, ala nasi, palpebra inferiore, labio superiore decurrentes dolore corripiuntur, qui modo in hoc, modo in altero ramulo saevit, modo in ramos alveolares et nervos palatinos, dentes et gingivam maxillae superioris et palatum adeuntes transgreditur, unde tum in locum priorem revertitur, quo modo saepius sedem mutat, donec plane evanescit. — Secundum nervum infraorbitalem saepissime ramus ophthalmicus laborat. N. supraorbit., n. supratrochlear., n. infratrochlear. dolore corripiuntur, qui per palpebram superiorem, supercilia, frontem, caruneulam lacrimalem, radicem nasi ruit, in intimo oculo etiam saevit, qui e ganglio ciliari, cui formando n. nasociliaris inservit, nervos sensibiles accipit. — Rarissime neuralgia facialis ramificationes nervi maxillar. infer., nervum auricular. anterior., n. alveolar. infer. et n. lingualem invadit. Tunc dolor sentitur in tempore, in labio inferiore, in mento, in gingiva et dentibus maxillae inferioris, in margine et apice linguae.

Interdum dolor ramificationes nervi facialis sequi videtur, qui quidem, ut ex experimentis physiologicis satis constat, mere est motorius (1). Tum sumendum quidem est, sensum doloris fibris sensitivis nervi quinti ramis nervi facialis adjacentibus effici, qui ambo nervi vidiani superficialis, nervi lacrimal. vel subcutanei malae

(1) Valentin, De functionibus nervorum cerebralium et nervi sympathici. Lib. IV. p. 32. §. 70.

et nervorum facialium e nervo temperali superficiali communicantium ope inter se conjunguntur.

Nunc de singulis faciei regionibus dixi, in quibus dolor apparere possit; sed etsi plerumque in iis singulis morbum visurus sis, tamen interdum plures ramos simul affectos invenies, ita quidem ut modo in hac, modo in altera parte dolor celeriter sedem mutans, nunc locum deserens, nunc eundem iterum invadens saeviat.

Vertor nunc ad symptomata, dolorem satis descriptum nonnunquam comitantia. Convulsiones interdum easdemque in iis locis videbis, in quibus et dolor saevit. Frons et supercilia corrugantur, palpebrae vicissim clauduntur et aperiuntur, alae nasi et labia moventur et tota facies modo turpissimo distorquetur, raro etiam lingua in ore rotatur, quae omnes actiones nervi facialis et hypoglossi ope secundum legem motuum reflectoriorum perficiuntur. Arteriae temporales et carotides in paroxysmo fortius pulsant, venae partis aegrotantis tumescunt, striae rubrae, calidae, tumescentes, quasi inflammatae interdum secundum nervorum affectorum decursum existunt, quales secundum seriem dentium superiorum a Thilenio, Steinbruck et J. Frank saepissime observatae sunt. Earle casum memoriae prodidit, in quo, donec dolor nervi supraorbitalis decursum sequens duravit, stria rubra acute limitata apparuit, cui tantus inerat ardor, ut fomentationes frigidae ei impositae mox evaporarint.

Nervo frontali laborante saepius etiam oculus dolorosus rubefactus conspicitur. Tota faciei pars affecta in paroxysmis nonnunquam livida ostenditur, mala oedematose intumescit, nec nisi dolore finito sensim sensim-

que ad pristinam revertitur formam. Masius etiam contrarium vidit, quippe in paroxysmis malam rubefactam observavit, quo in statu et dolore finito per aliquod adhuc tempus remansit.

Glandulae et lacrimales et salivales, sicut et membrana mucosa narium largius plerumque secernunt, qua re paroxysmi finis vel efficitur, vel modo indicatur. Secretiones tum autem per tempus aliquod adhuc durant. Largiorem et lacrimarum et muci narium effluxum neuralgiam nervi frontalis comitantem, largiorem salivae secretionem nervo maxillari inferiore laborante saepius conspicies.

Etiam in sublimioribus sensuum organis symptomata consensualia animadvertuntur, quae modo in hoc, modo in illo sese ostendunt, quod variat secundum diversorum nervorum affectorum decursum. Ita saepe in paroxysmis olfactus disparet, aegrotus de sensu queritur, quasi pulvis nari lateris affecti inspergeretur; in lingua gustus vel alienationes vel defectus, in auribus tinnitus, susurrus, in oculis photophobia vel visus scintillarum exoriuntur.

Neque vero in quoque aegroto, neque in quoque paroxysmo eundem aegrotum invadente omnia symptomata, quae dixi, conjuncta videbis, nam et dolor solus et, quod plerumque fieri solet, non nisi symptomatibus consensualibus nonnullis junctus adesse potest. Nec minus vehementia doloris valde variat, quum modo aegroti ejulent, per cubiculum currant, partem affectam comprimant, inscientes, quae ad dolorem mitigandum adhibeant, modo autem aequiorem animum retineant. Eo autem vehementiores dolores esse solent, quo bre-

vius paroxysmi tempus est, eoque mitiores quo diutius durant.

Paroxysmi nunc vel typum habent certum, plerumque quotidianum, rarius tertianum, et tum etiam frigus et tremor artuum et anxietas iis praecedere solent; vel omni typo carent, et citius tardiusve iterantur intervallis nonnullarum horarum, plurium dierum vel hebdomadum vel anni dimidii interpositis. Initio morbi paroxysmi solito magis distantes observantur, postquam autem per longius tempus duravit, eos magis sibi appropinquare autores affirmant.

Secundum autores alios in latere faciei dextro potissimum dolor saevit, alii autem eum et in sinistro latere saepius inveniri contendunt. In casibus rarissimis in utroque latere sese ostendit; tum autem simul non adest, sed uno latere relicto, alterum invadit, ibique per tempus aliquod residet, priusquam ad originis locum revertitur. Plerumque persuasum habebis dolorem lateris alterius modo metastaticum et latus alterum primarie affectum ac veram morbi sedem esse. Pujol et Chaussier casus ejusmodi memoriae prodiderunt.

DIAGNOSIS.

Quum in neuralgia faciali dolor faciei partes diversissimas aggrediens sit symptoma primarium, quod quidem etiam in aliis faciei morbis occurrit, facile errorem in diagnosi statuenda existere posse quisquis concedet, quare de nonnullis quibuscum commutari possit morbis, accuratius disseram.

Respectum habeamus primum ad symptomata morbi pathognomonica. Dolor adest dirissimus, qui levissimis

causis dicto citius oritur, eodemque modo finitur, pressu graviore minuitur, decursum nervorum accurate sequitur. Intervalla interposita sunt plane libera.

In odontalgia pariter dolor vehemens adest, sed hic majore latitudine in maxilla vel superiore vel inferiore sentitur. Dens cariosus saepe conspicitur, vel si caries solius radicis adest, instrumento ferreo tangendo et sensu peculiari, quasi dens sit ceteris longior detegitur. Porro causa, quae dolorem provocavit, saepenumero refrigerium vel corpus alienum denti impositum, diagnosin confirmare potest. Tum et rubor et tumor genae in odontalgia, in neuralgia autem intumescentia plerumque pallida occurrit. Dente evulso odontalgia plerumque desinit, in neuralgia faciali haec operatio auxilium non affert. Quaeque aetas odontalgia laborare potest, quum neuralgia facialis aetati infantili omnino parcat.

In rheumatismo musculi et partes fibrosae, sicut periosteum et fasciae musculum temporalem tegentes morbi sedes sunt, dolor latius extensus est, pressu graviore angetur, noctu praecipue aegrotos lecto calefactos adoritur, sensum tensionis praebet, et magis lente per partes affectas migrat. Saepe simul uterque latus morbo corripitur. Dolor per longius tempus existere et si desinit, partem alteram petere solet, in qua tum iterum diutius versatur. Rheumatismum acutum febri comitatum plerumque cernimus. Remediis antirheumaticis adhibitis cedit, neque est tam pertinax quam neuralgia facialis.

Dolores osteocopi, qui lue universali laborantes vexant, locum eundem, quem et neuralgia facialis, tenere possunt. Hi autem tempore vespertino oriuntur, sensim

dum aestate et omnino tempestate serena melius sese habent.

Haemorrhoides, arthritis, catarrhus saepius iteratus herpes, impetigo ad hunc morbum praedisponere feruntur.

Item odontalgia vehemens, quae homines diutius vexavit, et consensum aliorum faciei nervorum saepius provocavit, causa praedisponens habenda est. Masius in multis aegris, vel a se ipso vel ab medicis aliis observatis, dentes cariosos exstitisse, et odontalgiam neuralgiae faciali longe antecessisse narrat (1).

De causa proxima autores diversissimas tulerunt sententias, quarum nonnullas hic afferam.

Fothergill putat, causam morbi esse acrimoniam cancrosam in faciei partibus depositam, quod his rationibus confirmare studet. Dolor atrox, lancinans, per diversas corporis partes vagans, modo evanescens conspicitur in hominibus cancere denique causis externis non provocato correptis. Cum dolore rheumatico commutandus non est, quia interdiu aegrotos invadit, nocte non exacerbatur, tempestatis mutationibus non excitatur et per longum tempus plane disparet. Tantum abest, ut hic dolor aegros relinquat, quum cancer exortus sit, ut potius tanto magis exacerbetur, quo majores progressus ille faciat. Tum in mulieribus quater prosopalgiam observavit, in quibus et tumores parvi, duri, dolorosi in mamma exstabant, ubi dolor vehementior sentiebatur, quando facies libera erat, mitior autem, quando haec dolore laborabat. Eodem remedio, cicuta nimirum

---

(1) Hecker's Annalen d. Heilkunde. Bd. VI. pag. 268.

quae adhibita et in scirrho opem fert, malum hoc pluries fugavit et tumores in mamma tum etiam disparuerunt. Ex his hanc facit conclusionem: »Non veri dissimile mihi esse videtur, materiem quandam acutam, corrosivam, cancrosam diu, sicut materiem electricam, certas vasorum series pervagari, eamque quantitate sufficiente collectam procreare posse hunc dolorem, eam autem non tanta violentia partes invadere, quanta functiones earum destruerentur.« Cruveilhier de neuralgia narrat nervi facialis ramificationes sequente, quam vidit in muliere carcinomate mammae laborante, cui paresis ejusdem faciei partis accessit. Sectione post mortem instituta omnes nervi facialis ramificationes nodosas, vagina scirrhose degenerata circumdatas, invenit. Eandem sententiam pronunciarunt Vogel, Selle, Jos. Frank et Alart.

Pujol, Bertholus et alii spasmum adesse putant, ex quo omnia hujus morbi symptomata pendeant. Cerebrum habent receptaculum materiei cujusdam electricitati similis, idemque quasi electrometrum istam per nervos distribuere affirmant. Quum nunc fluidum electricum modo abnormi singulis nervis advehatur, hi tensi et rigidi fiunt, itaque status spasmodicus evadit. Hic autem affluxus rebus diversis procreari potest.

Masius morbum diversis causis produci posse putat, quarum tres praecipuas affert (1).

Si organa systema chylopoeticum constituentia, quod attinet functionem, perturbata sunt, ita ut res ingestae

---

(1) Hufel. Journ. Bd. 25.

male digerantur et chylus vel quantitate vel qualitat abnormis paretur, taliquc modo materies quaedam irritans accumuletur, hoc irritamento neuralgiam facialem existere posse arbitratur. Consensum solum ad hanc rem aperiendam sufficere negat; potius praedispositionem quandam nervorum simul exstare opus esse, quia aliter tale quid certe saepius contingeret. Si autem morbus per longius tempus constitit, tandem in nervis ipsis status morbosus sese formare potest, quo fit, ut et sordibus illis remotis neuralgia non evanescat, sed adhuc perduret et ad mortem usque aegrotum vexet. Ad hanc sententiam confirmandam casum affert a Lentino et semet ipso observato, in quo mulier neuralgia faciali afflicta, dejectione copiosa muci tenacis ac biliosi exorta, per annum et dimidium dolore liberata erat. Postea iterum paroxysmi exstiterunt, in quibus remedia eo resolventia et laxantia levamen ei attulerunt.

Tum acrimonium quoddam herpeticum causam hujus morbi accusat. Duos casus a se ipso conspectos narrat, in quibus exanthema herpeticum in parte affecta vel prope eam aderat, quo remoto non multo post neuralgia facialis exstitit. Casum tertium affert, in quo morbus pari modo natus, molestiis asthmaticis comitatus dulcamarae praeparatis maxime diversis dosibus fortissimis per septem hebdomades adhibitis disparuit, postquam exanthema iterum in cute effloruit.

In tribus aegrotis, qui jam antea affectionibus syphiliticis laboraverant, materiem syphiliticam neuralgiam facialem provocasse arbitratur. Unus eorum usu mercurii dulcis et salivatione exorta, quae eodem remedio per tres hebdomades protracta est, planam recuperavi

sanitatem. Alteris duobus remedio eodem levamen adlatum putat.

Rademacher in scripto, quod diversa rheumatismi capitis genera tractat (1), neuralgiam facialem nihil nisi rheumatismum inveteratum esse contendit, qui eodem modo ut genera reliqua mercurio curandus sit. Exitum prosperum autem tali modo effectum nullum afferre potest. Idem censuerunt Siebold et Degener.

Loebenstein-Loebel (2) causam proximam morbi quaerit in inflammatione ad neurilema ramorum nervi quinti et nervi facialis pertinente. Sibi persuasum esse dicit, eodem modo, uti in hydrocephalo aqua in cavo cranii collecta ex inflammatione antecedente exorta sit, etiam in neuralgia faciali neurilema primum inflammatum esse et tum exsudationem materiei aquosae existere, quae in nervo remanens dyscrasiam quasi nervi sistat, qua morbus chronicus efficiatur. In casibus a C. Sprengel memoriae proditis intumescentiam nervorum, eosdemque aqua impletos sese exhibuisse, quae res satis sententiam dictam comprobet.

Respectu habito ad totum morbi decursum singulaque symptomata, haec opinio maximam partem refutanda videbitur. Nam paroxysmi dicto citius saepe oriuntur, eodemque modo evanescunt, nulla alia comitati aegritudine nullamque relinquentes, ac similes sunt odontalgiae vento afflante provocatae. Hi paroxysmi levissimi, qui intervallis non ita brevibus iterantur, sensim sensimque modo morbum ad summum perducunt fastigium. Quae

---

(1) Hufel. Journ. Bd. 37. St. 8.
(2) Hufel. Journ. Bd. 44. St. 1. p. 48.

res jam non sinunt, ut inflammationem tunicae vaginali adesse sumamus, praesertim quum remedia adhibita, qua dolorem interdum fugaverint, talia fuerint, quae inflam mationem potius auxissent, ut ol. terebinth., naphthae ol. sassafras etc. Postremo effusio aquae in nonnulli tantum aegrotis inventa est, etsi dissectio nervorum quae de ea medicos certiores facere debuisset, saepiu est instituta. Schoenlein adhuc affert (1) hanc aqua effusionem nullo modo inflammatione productam haber posse, quia multum quidem aquae, non autem materia animales, albumen nimirum et fibrina, quae aquae in flammatione antegressa obortae insint, invenirentur.

Quamquam autem tali ratione sententiae a Loeben stein-Loebel pronunciatae acriter repugnatur, tamen Masius, qui quidem argumentis dictis ad eam refellen dam utitur, concedendum esse confitetur, nonnullis in ca sibus morbum inflammatorium neuralgiam facialem ef ficere, quod quidem ex origine, decursu et omnibu symptomatibus obviis satis perspicuum sit. Idem, de cujus sententia ad originem morbi spectante supra dixi in scriptis posthumis de statu in nervis ipsis se exhi bente haec edixit (2): »Puto, causam proximam creber rime in vehementissima nervi affecti irritatione, vel in ec ipso primarie exorta, vel consensu e loco altero provo cata ponendam esse. Morbo diutius perseverante tan dem quidem dyscrasia nervorum affectorum exoriri pot est, cujus influxus in pertinacitate et insanabilitate mal plurimum valere debet.«

---

(1) l. c. Thl. 4. p. 34.

(2) Heckers Annalen. Bd. 6. p. 266.

Haec Masii opinio maxime probabilis esse et symptomatibus, quae morbus exhibet, optime respondere mihi videtur; addere autem mihi licere puto, pluries etiam irritabilitatem adauctam nervis inesse, quod quidem eo probatur, quod nervi pulsus externos non normali modo percipiunt, sed dolorose ab iisdem afficiuntur, quam rem etiam e dyscrasia nervi pendere posse equidem concedo, sed talem in quaque functionis perturbatione adesse, hucusque nondum satis constat. Hanc opinionem et Ill. Romberg habere mihi videtur, quum neuralgiam facialem hyperaesthesiis adnumeret, quarum ingenium irritabilitas est adaucta. Hoc nervi statu declarandum etiam esse puto, qui fiat ut tam libenter morbus iteretur. Novimus enim partes morbo vehementissimo affectas debilitari et irritabilitatem earum augeri, eisque facile vires externas detrimentum inferre. Pariter et in nervo quinto momentis diversis primum vehementissima nascitur irritatio, quae causis illis remotis, irritabilitatem adauctam relinquit, qua nervus ipse locus minoris resistentiae redditur, talique modo ad morbum eundem maxime inclinat.

Causas occasionales Masius, quem hac in re sequar, has affert.

Vulnera capitis, de quibus exempla a Lalaurie, Richmond et André proferuntur. Haysham casum narrat, in quo asilus, qui in antrum Highmori penetravit, neuralgiam facialem provocavit. Hunger mucum in eodem cavo cumulatum idem effecisse refert.

Ulcera et destructiones ossium facialium et cranii, evulsio dentium interdum morbum producunt.

Tum refrigerationes et generales et locales in cau-

sis numerandae sunt, quibuscum autem dispositio quaedam morbosa in nervis ipsis concurrere debet.

Affectiones arthriticae cum prosopalgiae paroxysmis alterantes saepius observatae sunt. Ita podagra evanuit, postquam dolor faciei comparuit, qui aegrotum iterum reliquit regularibus arthritidis paroxysmis ingressis. Etiam nodi ejusmodi, ut in arthritide occurrunt, in partibus faciei observati sunt. De veneno venereo jam supra dixi. Porro ex suppressione exanthematum chronicorum, e. gr. herpetis et impetiginis, haemorrhagiarum consuetarum, sicut haemorrhoidum et menstruationis, multi autores prosopalgiam evadere viderunt. Idem dici potest de suppressis secretionibus materierum morbosarum, quae videntur sub forma muci vel tenuis vel puriformis in aure, in naribus, in ore.

Denique et animi affectus, cura et aegritudines, terror, iracundia aliaque similia, morbum aliquando procreant, et si jam evanuit, paroxysmos novos incitant.

DECURSUS ET EXITUS.

Loebenstein-Loebel et Masius certiores nos fecerunt, morbum acute decurrere posse. Prior adeo contendit, eum semper sub forma morbi acuti existere, et tantum cura neglecta in morbum chronicum abire, quod quidem Masius acriter et rationibus maxime lucidis redarguit.

Neuralgia facialis acuta synochica homines invadit plethoricos robustos. Facies intumescit, rubra et calida fit, arteriae partis affectae vehementer pulsant, plures nervorum rami simul laborant, ita ut dolor et in dentibus, in lingua, in labiis, in mento, in genis, in oculo.

qui ruber existit, saeviat. In arteria radiali pulsus, modo tensus et plenus, modo parvus et durus, interdum etiam justo frequentior sentitur. Dolor tempore matutino exacerbatur, nocturno remittit. Tempus, per quod durat, ei febris inflammatoriae adaequat, ita ut cura apta adhibita post dies duos, tres, quatuor, decem, quatuordecim et viginti unum finiatur. Jos. Frank de prosopalgia acuta dicit, quae per mensem duraverit. Tollitur crisibus ingressis, vel sudore maxime profuso, vel fluxu lacrimarum copioso, vel salivatione oris; nonnunquam etiam abscessus sese ostendit, aut in facie vel interna vel externa genarum, aut in gingiva. Si hoc modo morbus ad discrimen non perducitur, abit in morbum chronicum. Ubi morbus hic acutus in hominibus corpore pingui instructis occurrit, saepius et organa chylopoetica participantia animadvertuntur.

In neuralgia acuta nervosa inflammatio quaedam nervosa adesse dicitur. Petit homines imbecilles jam antea aegrotantes, diversis rheumatismi formis, diarrhoea, dyspepsia, frigore membrorum laborantes, pulsum parvum, vix sentiendum, tardum exhibentes.

Prosopalgia chronica saepius e morbo acuto evadit, qui vel ab aegroto ipso neglectus, vel cura perversa impensa, vel etiam sine ulla neque aegri neque medici culpa protrahitur. Interdum autem etiam sensim sensimque sese evolvit, ita ut initium acutum sumere nos non liceat. Prodromi ejus diversi quoque observantur, quales sunt inquietudo generalis, anxietas praecordiorum, respiratio anxia gemitu interrupta, pruritus et formicatio in partibus postea invadendis. Tempus, per quod durat, modo longius, modo brevius est, varians inter nonnullos

menses et plures annos. Autores adeo exempla consignarunt, ex quibus per annos triginta, quadraginta et quinquaginta exstiterit. Aegroti in intervallis plane sani esse possunt, plerumque autem serius alia organa simul laborare incipiunt.

Si dolor vehementissimus paroxysmis creberrimis diutius existit, distortio sequitur faciei, os zygomaticum prominet, oculus protruditur et ectropium format, patiens visum amittit. Musculi faciei cortrahuntur, facies macescit. Affectiones cerebri denique se ostendunt. Aegroti sollicitati et perturbati, affectionibus et hypochondricis et hystericis maxime vexati in melancholiam incidunt altissimam. Abdomen saepius inflatur et hunc statum per longum tempus retinet. Torpor organorum abdominalium tantus aliquando occurrit, ut remedia fortissima laxantia et emetica nihil efficiant. Ischuria etiam in morbi decursu nonnunquam observata est.

Si morbus ad statum sanum redit, plerumque latus faciei aegrotum oedematose intumescit. Dolor sensim sensimque mitior fit, nullo alio symptomate apparente, et postremo plane evanescit, interdum etiam post paroxysmum vehementissimum subito desinit. Interdum sanatio prosequitur diarrhoea profusa continua, vel fluxu haemorrhoidum cruentarum, vel muci puriformis e naribus exortis. Porro abscessibus in locis diversis vel exanthemate e. gr. herpetico natis morbum disparuisse animadversum est. Tale quid etiam contigit dolore artus pervagante, tumoribus vel aliis arthritidis symptomatibus exortis. Ubi autem morbus tali ratione non finitur, maximas sanitatis perturbationes existere videmus. Alii dolore atrocissimo tabem ortam esse perhibent, alii eum

in maniam transiisse, alii ulceribus carcinomatosis aegrotos periisse memoriae prodiderunt. Sed et sine ulla alia sanitatis perturbatione interdum usque ad vitae finem duravit, intervallis saepenumero longissimis interpositis, ita ut novum paroxysmum morbum redeuntem haberes.

Sectionibus cadaverum institutis pauca modo reperta sunt, et res quidem tales, quae durante vita facile certe cognosci non possunt, nisi fortasse aliis symptomatibus sese prodant. Bell et Stanlei aut nihil se invenisse profitentur, aut cerebri et nervorum partis affectae tumores, aut ossium cranii hypertrophias. Halfort et Travers mutationes repererunt hypertrophicas ossium frontalium, sphenoidalium, ethmoidalium, exfoliationes processus alveolaris dentisque exostosin. Cel. Romberg substantiam nervi quinti molliorem et nodulum parvum continentem, aneurysma carotidis in nervo positum, praeterea alias cerebri mutationes invenit, quae omnia in libro suo optime exposuit atque illustravit (1).

PROGNOSIS.

Quod attinet vitam servandam, prognosis bona statuenda est, quum per multos annos morbus existere possit et casus, in quibus morbus alius inde evadat, quo mors acceleretur, rariores sint. Sanationem autem certam remediis nostris adhibitis, potissimum in morbo chronico, raro tantum consequi possumus, nam libenter iteratur morbus occasione data, etsi aegrotus jam plane sanatus videtur, et tali modo eum usque ad vitae finem persequitur. Quo recentior morbus est, eo faustiorem

(1) l. c. pag. 44.

exitum sperare licet, sed quo vetustior, eo pejor prógnosis evadit. Prosopalgia inflammatoria rheumatica optime sanari potest. Si venenum syphiliticum, vel ejusmodi ulcera morbi causae sunt, cura apta sanationem plerumque exspectare licet; pejor vero prognosis est, vel carie vel carcinomate existente. Eventum laetiorem speramus si causae locales, e. gr. vulnera, dolorem excitant; infaustiorem si dolor pendet ex internis causis occultis. Difficilior sanatio est in hominibus irritabilibus, ad iracundiam propensis, animo perpetuo depressis, et in talibus, qui arthritide irregulari laborant. In mulieribus cura rarius eventum secundum habere, in viris transitus in morbos periculosos crebrius existere videtur.

CURA.

Loebenstein-Loebel in neuralgia synochica, de qua supra dixi, curam hanc saepius utilem invenit. Primum venaesectionem instituit, qua secundum aegroti constitutionem libram unam ad duas sanguinis detraxit. Tum nitri depurati gr. X. secunda quaque hora dedit. Quarta quaque hora unguentum hoc parti affectae infricabatur:

Rp. Ungt. Althaeae ℥I. Cret. ʒII. merc. dulc. ℈I. Ol. lin. ʒI.

Infrictione instituta facies linteo obtegebatur. Aegri decoctum avenae cum oxymelli bibere et diaetam antiphlogisticam observare jubebantur. Dolore levato unguentum adhuc per octo ad quatuordecim dies tempore matutino et vespertino infricabatur, aegroti domi remanebant et irritantibus tam cibis quam potu abstinebant.

Masius hanc curam quidem laudat, pro venaesectione autem hirudines ad partem affectam positas interdum sufficere, et infrictiones non semper perferri contendit.

In hominibus pinguibus, constitutione phlegmatica instructis, detractiones sanguinis locales instituit, et haec remedia dedit:

Rp. Merc. dulc. gr. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$, gumm arab., pulv. rad. liquir. āā ℈ß. M. Disp. tal. dos. Nro. XII.

Morgens und Abends ein Pulver in Süssholzabkochung zu nehmen.

Rep. Ungt. Althaeae ℥I, merc. dulc. ℈ß — ℈I, flor. Zinc. gr. XII., Ol. lini ℈I. Alle 4 Stund. einzureiben.

Ubi complicatio aderat cum gastricismo, emeticum porrigebatur. Si post dies duodecim paroxysmi diminuti non erant, pulv. Plummer. adhibebatur, atque in ungt. massa et merc. dulc. et zinci augebatur. Salivatione vel jam exorta, vel modo indicata remedia seponebantur, et tum sulph. aurat. antim. gr. I — II cum magnes. alb. et sacch. alb. āā ℈ß quarta quaque hora dabatur. Salivatio non satis vehemens et debilitans dolorem interdum plane removit.

Pro potu solito datum est decoctum specierum e rad. bardan. ℥III., rad. sarsapar. ℥I.

Eine Handvoll mit 1$\frac{1}{2}$ Quart Wasser bis auf 1 Q. einkochen zu lassen.

In neuralgia acuta nervosa laudat fomentationes frigidas parti affectae impositas saepeque iteratas. Detractiones sanguinis plane dissuadet; interne ammon. muriat. ordinat. Si hoc modo nihil proficiebatur, ad haec fugit remedia:

Rp. Ext. cort. aurant. ʒII, ext. hyoscyam. gr.VI—ʒß
Solv. in aq. dest. ℥IV., Spir. Minder. ℥I — II. Alle
Stunden 1 Esslöffel.

Rp. Ol. hyosc. e sem. par. ʒIIß., opii pur. ʒIß
flor. zinc. ʒß. M. D. S. Alle 4 Stunden die Wang
einzureiben.

Rp. Rad. sarsapar., rad. chin. āā ℥I., stipit. dulca
mar. ℥I. C. f. spec. S. Mit 2 Kannen Wasser bis au
½ Kanne einkochen zu lassen.

In morbo chronico multa a medicis peritissimis ad vocata remedia nunc aegrotis conduxerunt, nunc effectum nullum habuerunt.

Acidum arsenicosum raro quidem adhibitum est sed plura sunt exempla, ubi aegrotos sanaverit.

Herber, Stark et alii belladonnae dosibus fortissimis aegros nonnullos ad sanitatem reduxerunt. Praeterea acidum hydrocyanic. dolorem saepe leviorem reddidit. Cicuta quoque a multis auctoribus laudatur, et multi exitus prosperi remedio hoc provocati observati sunt. Porro Sauter tinct. coccionellae commendat; eaque patientes duos sanos reddidit. Nec minus kali muriat. oxygenat. gr. XXX per diem sumpta pluries salutem aegrotis attulerunt.

Hutchinson ferro carbonico ad ʒI bis vel ter per diem adhibito septem aegrotos restituit. Si ventriculus nimis irritabatur, remedia aromatica cum eo conjunxit. Tum quoque calomel usque ad salivationem adhibitum a multis autoribus laudatur. De opii vero efficacia maxime discrepant. Sed strammonio, dulcamara, zinco feliciter curaverunt interdum medici. Insuper ab camphora et guajaco in neuralgia rheumatica fortasse quid

exspectandum. Camphorae quidem scrup. I. pr. dos. auxilium jam attulit. Praeterea aconitum in dyscrasia vel herpetica vel arthritica, as. foetid., valeriana, ammon. carbon. pyrool. in dolore hysterico laudari fortasse possint. Si paroxysmi typo certo utuntur, china adhibenda est.

Ex remediis externis plurimum profuit ungt. merc., de cujus efficacia Lentin, Siebold, Harless exempla memoriae prodiderunt. Stark meliorem exitum vidit impenso unguento constante ex axungiae porc. ℥ß, merc. dulc. ℈I, ol. galban., ol. succin. āā ℈ß in processum mastoideum infricto.

Porro laudantur infrictiones ol. crotonis, ol. cajeput cum ol. menth. et ol. hyosc. conjuncti, ol. sassafras, pic. liquid., liq. ammon. caust. usque dum eschara existat, tinct. opii cum ol. hyosc. et vitello ovi conjuncti. Dein solutio merc. sublim. corros. (℈I cum aq. dest. ℥. I) saepius ad partem affectam adhibita secundum de Wedekind dolorem rheumaticum removet. Raro autem vesicatoria, fonticuli, cauterium actuale profuerunt. De moxarum vero utilitate exempla plura suppetunt.

De magnetismi et metallici et animalis, de electricitatis ac galvanismi effectibus nonnulla quidem, sed pauca feruntur experimenta prospera. Fomentationes autem frigidae plures autores utiles invenerunt. Contra vaporibus aquae ebullientis fere nunquam aegri adjuti sunt. Usus autem balnei maritimi nonnunquam profuit aegrotis. Praeterea gas oxymuriatico Bonnet prosopalgiam sanavit. Nervi denique dissectio tam incertam praebet prognosin, ut fere nullo in casu eam admittendam censeam.

V I T A.

Natus sum ego, Franciscus Kock Monasterii a. h. s. XVI. die V. Novbris. patre Joanne, matre Clar e gente Neuhaus, quos jam dudum morte mihi abre ptos desidero atque valde lugeo. Fidei addictus sun catholicae. Gymnasium Monasteriense, quod tum tem poris directore Cel. Nadermann florebat, per quatuor annos frequentavi. Classe tertia superata id reliqui e per tres et dimidium circiter annum mercaturae operam navavi. Tum legioni septimae militum tormentariorum adscriptus, per annum voluntarius officio legibus jusso satisfeci. Intelligens nunc me ad negotium, quo ante-hac functus eram, minus inclinare, et literarum amore impulsus iterum his incubui, et maturitatis testimonium adeptus, vere anni MDCCCXXXIX. almam literarum se-dem Bonnensem petii, ubi a rectore magnifico Ill. Mayer inter cives academicos receptus, nomenque apud deca-num facultatis medicae maxime spectabilem Ill. Wutzer professus, hisce praeceptoribus gavisus sum:

Ill. Treviranus in botanice, Ill. Bischof in che-mia, Ill. Goldfuss in zoologia, Ill. Noeggerath in mi-

neralogia, Ill. Plücker in physice, Cel. van Calker in logice et psychologia, Ill. Mayer et Ill. Weber in anatomia et generali et speciali, in arte cadavera rite secandi, Ill. Mayer in physiologia, Cel. Harless in materia diaetetica, Ill. Naumann in encyclopaedia artis medicae, Ill. Albers in pathologia generali, in pathologia et therapia speciali et morborum syphiliticorum, in materia medica, in arte formulas conscribendi, in anatomia pathologica, Ill. Nasse in therapia generali, in pathologia et therapia speciali, in anthropologia, in physiologia in clinico propaedeutico, Ill. Wutzer in chirurgia, in anatomia chirurgica, in clinico chirurgico, Cel. Kilian in arte obstetricia.

Semestribus quinque praeterlapsis, autumno anni MDCCCXLI. ad hanc almam musarum sedem Berolinensem me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. Dieterici inter cives academicos receptus, a decano summe spectabili Ill. Juengken in album medicum inscriptus, hisce praeceptoribus excellentissimis usus sum: Ill. Jo. Mueller in anatomia speciali, in anatomia organorum sensuum, Cel. Wolff in clinico medico, Ill. Juengken in clinico chirurgico et ophthatmiatrico, Cel. Romberg in policlinico medico, Ill. Casper in medicina forensi, Ill. Busch in clinico et policlinico obstetricio, Cel. Barez in clinico paediatrico, Ill. Hecker in historia medicinae, Ill. Schoenlein in clinico medico.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. In neuralgia faciali curanda remedium specificum non habemus.
2. Mercurius non est remedium antiphlogisticum.
3. Ruptura velamentorum ovi arte instituta parturientibus prodest.
4. Vulnera, quae per parietes thoracis penetrarunt, statim sunt claudenda.
5. Non omnes morbos sanare debemus.
6. Morbi organorum in cavo thoracis sitorum, nisi stethoscopio adhibito, accurate cognosci non possunt.